



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LII. De recitatione Breviarii cum socio &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LII.

De recitatione Breviarii cum socio &c.

Basilii Clericus pensum Canonicum sæpius perfolvit cum socio festinanter recitante suam partem, quam ipse incipit, antequam Basilii ultima verba sui versiculi profert: Unde non nunquam aliqua repetit, ut securius procedat, vel quia subinde dubitat, an non aliqua omiserit. Cum verò ipse solus Horas recitat, ita submissè quandoque verba profert, ut sæpè se ipsum non audiat.

QUÆR. I. An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita festinanter recitat cum socio, ut antequam socius ultima verba sui versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat?

QUÆR. II. An qui dubitat, utrum aliquam Horam recitaverit, vel aliquid omiserit, teneatur repetere id, de quo dubitat?

QUÆR. III. An in recitatione Breviarii debeant verba ita necessariò proferri, ut recitans se ipsum audiat?

300 **A**D I. Q. Videtur affirmativè respondendum. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto Officii Divini recitandi requiritur, & sufficit, ut partem versiculorum tibi competentem proferas, & eam partem audias, quæ à socio profertur: sed utrumque fieri potest in posito casu, cum & tua verba ipse proferas, & audias ea, quæ à Socio proferuntur: ergo satisfacis. Sed

Dicendum est cum Bonacina *D. 1. q. 3. part. 2. §. 1. Tolet. l. 2. c. 13. Less. c. 37. dub. 10. Palao D. 2. p. 3. n. 9. Azor tom. 1. l. 10. c. 4. q. 11. Fill. & aliis*, eos, qui ita festinanter Breviarium recitant, ut nondum expletis versiculis à socio proferendis, sequentes versiculos recitare incipiant, non satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socio,

cio, qui eam audire nequit tempore debito, seu eò, quò illam ipſus recitare poſſet, ſiquidem auditus loco prolationis ſuccedit: & aliàs ſequeretur, quòd ſi ſocius verſiculum ſuum proferret, quando tu proferſ tuum tibi competentem, ſatisfaceres tuæ obligationi ita recitando; quod utique dici nequit; tum quia ſimultanea talis recitatio eſt contra conſuetum Eccleſiæ uſum, & aliàs dimidio temporis ſpatio integram Officii penſum perſolvi poſſet, cum ſit par ratio partis & totius: Tum quia ſocii recitatio ſuccedit loco illius, quam tu recitare debebas: ſed tu non poteris utrumque verſiculum ſimul recitare: ergo neque eodem tempore, quo alter recitat, poteris ſatisfacere. Unde

Ad rationem in contrarium R. ad ſatisfaciendum præcepto requiri, ut ſocii recitationem audias tunc, quando eam ponere poſſes, quia alter etiam nomine tui recitat, & auditus loco prolationis ſuccedit, ſed quia tu non poteris tunc illam recitare, cum audis, eò quòd utrumque ſimul recitare non poſſis, ideo minimè ſatisfacis.

301 Ad 2. Q. R. Sic dubitantem teneri ea repetere, de quibus dubitat, niſi dubium probabili aliqua ratione practicè deponatur. Ratio eſt; tum quia præceptum obligans ad recitandum eſt, & manet in ſua poſſeſſione: Tum quia recitatio eſt aliquid facti; factum au-

tem non præſumitur, ut docet communis Jurisperitorum.

Quòd ſi tamen dubitans probabilem aliquam conjecturam habeat, quòd recitaverit, v. g. quia ſcit, ſe incepſiſſe Horam, & nunc reperit ſe in fine ultimi pſalmi, vel quia ſcit ſe communiter non ſolere aliquid omittere, vel quia meminit poſtერიorem Horam, quam ſcit ſe recitaſſe, non ſolere aliàs recitare, niſi priùs recitata priore, vel quia reperit mutatum ſignum, quod, poſt perſolutam quamlibet Horam mutare ſolet, & apponere Horæ ſubſequenti recitandæ &c. Si inquam, ejuſmodi probabilem conjecturam habeat, non tenetur quidquam repetere, ut docent Bonæ. *D. 1. q. 4. p. 2. n. 11.* Tambur. *in Decal. l. 2. c. 5. §. 3.* Pelliz. *t. 1. tr. 5. c. 8.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 5.* Gobat. *in exp. t. 5. n. 621.* Navar. Suarez. Sanch. Azor. aliique apud Lacroix. Et ratio eſt, quia tunc poſſeſſio eſt pro ipſo recitante, qui cum certus ſit, quòd aliàs ſoleat recitare Horas Canonicas, ſciatque ſe Breviarium hodie recitaſſe, incertus autem ſit, an Horam, vel partem illius omiſerit, prudenter poſt præſumere, & ſupponere, ſe etiam nunc nihil omiſiſſe, cum etiam aliàs ſolitus ſit, nihil de Officio intermittere, aut tranſilire, nec præſumatur omiſſio illius, quòd in ordinario curſu recitari ſolet. Quin imò expedit, ſaltem ſcrupuloſis, in tali cauſa nihil repetere, ut notant Sanch.

Sanch. Laym. Navar. Gobat, & alii, ad viam scilicet scrupulis præcludendam, & ad inania, & vana dubia deponenda; & quidem loquendo tantum de omissione parvæ alicujus Horæ, censent Tambur. & Gobat non teneri Clericum repetere, etsi probabilis ipsi ratio suppetat judicandi, quod talem partem non oraverit, modò ipsi non sit moraliter certum, quod eam non omiserit.

Rationem dant, quia ratio illa, quòd, quando quis Officium incipit, communiter, ac regulariter non omittat, præponderat, ac prævalet omni alteri rationi oppositæ, quæ tantum probabilis est, juxta regulam communiter receptam, quòd ex communiter contingentibus fiat prudens præsumptio. Nota autem cum Lacroix non esse sufficientem, & prudentem causam repetendi Horam ex eo solum capite, quòd non memineris te illam recitasse, dummodo non memineris te illam non dixisse, & habeas aliquam conjecturam, quòd recitaveris, ut alibi dictum est.

302 Ad 3. Q. Utrum necesse sit, ut recitans privatim Officium divinum ita verba proferat, ut se ipsum audiat? Affirmativam sententiam amplectuntur Medina C. de orat. quæstio 7. Reginald. l. 18. n. 174. Vincent. Filliac. tr. 23. c. 3. n. 117. & cap. 7. quæstio 8. alique arbitranter recitantem teneri se ipsum audire; quia recitatio Officii Divini est oratio quædam vocalis; de ratione P. Leonardelli Soc. Jesu.

tione autem orationis vocalis est, ut voce proferatur, & ab aliquo audiatur, cum vox essentialiter sit quidam sonus. Sed

Contrarium tenendum est cum Navar. c. 20. de orat. n. 14. Suarez tom. 2. de Relig. c. 28. n. 17. & cap. 7. n. 5. Bonac. D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 8. Palao D. 2. p. 3. n. 6. & aliis censentibus, non esse necessarium, ut cum quis solus recitat, se ipsum audiat. Movetur. Primò, quia nullo jure probatur, recitantem ad hoc teneri; præceptum enim obligat ad dicendum, non autem ad audiendum; estque præceptum solum de locutione vocali cum Deo; sed cum Deo optimè loqui possumus verbaliter, quin nos ipsos audiamus, quia possumus verba formare, quæ Deus optimè percipiet; potest enim oratio fieri ore, & voce, etiamsi non audiatur ab ipso recitante, quæ ex se sit quidam sonus formatus ex allisione aëris ad labia, & dentes. 2. Si ad orationem vocalem, & ad executionem hujus præcepti necessariò requiretur, ut te ipsum, seu verba à te prolata audias, tunc orare non posses vocaliter, neque hoc præceptum implere, si surdus esses, vel, si dum oras, magnus strepitus excitaretur.

Porro licet opus non sit, ut te ipsum audias, debes tamen verba ita distinctè proferre, ut absolute
Tc audi-

audiri possent, remoto saltem omni impedimento, quia verba, quæ auditu percipi non possunt, non videntur verba, sed quidam motus in gutture, qui potius sunt inchoatio verborum, quàm verba; vix enim videtur fieri posse, ut vox benè formata, & articulata ore proferatur, quin à proferente integra audiendi facultate prædito audiri possit vel audiatur. Et hoc est, quod velle videntur DD. supra in contrarium relati, ut colligitur ex Valentia *D. 6. q. 2. p. 10. §. 4.*

Dixi supra cum quis solus recitat; nam orans cum socio debes ita proferre verba, ut socius illa audiat, si ad recitandum Horas sit obligatus: Et è contra ipse socius debet ita verba proferre, ut tu illa percipias; quia oratio alterius in tantum potest esse tibi communis, in quantum illam percipis, atque ideo diceris recitare ea, quæ Socius recitat, quia illum audis; auditus

enim loco prolationis succedit; Quòd si plures, quàm duo simul recitent Officium Divinum, non licet illud ita recitare, ut unus dicat unum versiculum, alter alterum, & tertius tertium, sed alternatim recitandum est, factò inter recitantes solum duplici choro, si ve plures sint ex una parte, si ve pauciores; hic enim est usus, & praxis Ecclesiæ, cui in privata recitatione extra chorum nos conformare debemus, ut cum aliis notat Suarez *l. c. l. 4. c. 25.* Lectiones tamen vel singulas à singulis, vel etiam omnes ab uno, cæteris audientibus, legi sufficit, ut advertunt cit. Suarez *c. 12. n. 2.* Azor *l. 10. cap. 7. q. 5.* Navar. Palud. Sylv. & alii; qui duo monent, quòd scilicet, etsi aliquis quædam distinctè non percipiat, quæ ab altero choro, vel socio dicuntur, moraliter tamen satisfaciat, neque aliquid propterea scrupulosè repetendum sit.

